



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. An dolor procedere debeat ex intentione confessionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Cap. II. De Dolore quoad Circumstantias, 3

CAPVT II.

De eodem dolore quoad quasdam circumstantias.

§. I. De dolore quid non doleat.

Ene sufficiens dispositio ad hoc Sacramentum dolor quem quis habet, quod non doleat de peccatis. Concedunt Syluester, Navarr. Sà; citati à Laym. excusando, Sed Theologi communiter cum Layman. non dicitur, quia dolor debet esse de peccatis non de negatione doloris. Adde tamen, pro praxi, in timore conscientis, quæque nullum actualem affectum ad peccatum habent, oportet se dolere, vel, dolore quod non dolent, satis esse, quia ejusmodi affectus est signum veritatis. Ita idem Layman.

§. II. De intentione, & Qualitate doloris.

In quolibet gradu etiam remississimo satis est dolor: nec requiritur quædam ténacitas cordis, & eluctatione: ita Laym. lib. 5. n. 6. c. 4. n. 1. Særez de penit. disp. 4. s. 4. n. 9. Sufficit enim solus appetitativus, hoc est, ut ita sit homo affectus, ut secundum rectam rationem ipse detestetur, seu recedat à peccato, modo supradictis. Sic idem, & Coninch. de pen. disp. 2. s. 6. conc. 2.

§. III. An dolor procedere debeat ex intentione Confessionis.

Quamvis bene eliciatur dolor ex intentione ad Confessionem, id tamen necessarium nequaquam erit: v. g. sic, Quia volo confiteri, dolore, seu, quod idem est: Quandoquidem ad Confessionis Sacramentum accedo, actum doloris elicere volo, & de facto elicio: id inquam, necessarium non est, ex Delugo de pen. disp. 14. s. 4. cum satis abunde sit, si quis debeat, etiam sine memoria Confessionis: nam postea poterit ritè illo uti dolore ad penitentiam Sacramentum suscipiendum, v. g. sic: Quandoquidem doleo, & me peccatorum paenitet: volo confiteri: seu, Quia hoc mane, v. g. dolui de peccatis, nec hunc dolorem retractavi: nunc volo confiteri: & sanè tunc de facto confiteri potest sine necessitate dolorem renovandi.

§. IV. Quando dolor exhibendus est.

Praterea non est necesse, quod dolor antecedat Confessionem, satis est si antecedat Absolutionem. Ita Suarez, & Vasq. Bonac. alique, quos citat & sequitur Delugo de penit. disp. 14. s. 2. Quoniam vto communiter solet præcedere confessionem, quanto tempore præcedere potest? Dicq, quanto moraliter potest censeri unum actum imperari ab alio, & facere unum moraliter cum illo. Hæc est doctrina Theologorum communis: sed quoad praxim difficultas est, quantum sit illud tempus; quod id moraliter censetur in re nostra? Respondeo qui mane dolet, & actum non revocato, post tres, vel quatuor horas confitetur sine novo doloris actu, non est dubium quod bene satisfaciatur. Ita Præpositus quæst. 2. de confess. dub. 1. n. 10. Rursus, si quis vesperti exanimatus conscientiam elicit actum doloris, proponens sequenti die confiteri, abunde est. Ita idem ibid. Idem puto si non solum præcedenti vesperti, sed etiam præcedente die id fecerit, actum semper, ut dixi, non revocato. Colligitur ex Delugo de penit. s. 4. in fine n. 36. & initio num. 37. Longiorem temporis extensionem nondum invenit apud Theologos. Si quis inveniat, vel longiorem satis esse autmet, hic oro, subseribat. Illud ad solamen timoratorum tacere non debeo: Si in hoc Sacramento unum

Part 11.

quid moraliter facit Confessio nunc v. g. exhibita, cum Satisfactione, quæ forte hinc ad plures dies, & aliquando Menses exhibetur: imò si esset certus Confessor, quod Penitens, quem ab hinc quatuor diebus v. g. audit, bene esset dispositus, illum nunc liceret absolvere, & sic illa Confessio cum præsentia absolutione unum moraliter facere posset: & meritò, quia similis propinquitas satis superque est ad iudicia profana constituenta, ad quorum normam hoc Ecclesiæ iudicium à Christo Domino est institutum: hæc, inquam, ita se habent, cur etiam non poterit dolor ab hinc quatuor, vel quinque diebus animo conceptus, nec revocatus, unum quid moraliter cum præsentia Confessione constituere?

Et quidem post hæc scripta, immò, & in prioribus editionibus impressa, inveni Leandrum Theologum de Sacram. tom. 1. tr. 3. d. 79. 6. sane perdoctum, qui citans Hurtadum, & Candidum, absolvere docet, sufficere ad validam efficiendam Confessionem, cum etiam dolorem qui per quodcumque temporis longi spatium præcedit Confessionem: modo ubi semel est habitus, nec expresse, nec implicite retractatus fuerit.

6. Actus autem doloris revocatur, vel per actum contrarium, id est, per complacentiam peccati, de quo doluisti, vel per quodlibet aliud novum peccatum mortale. Vide quæ infra dicam c. seq. §. 4.

§. V. De novo dolore in nova peccatorum absolutionum.

Qui iterum confitebitur peccata aliàs absoluta, indigetne novo doloris actu, an vero sufficiat ille dolor antiquus, utique non retractatus, qui conjungitur nunc cum hac nova Confessione? Respondeo. Quamvis Io. la Cruz, & Ledesma apud Dianam tom. 2. tr. 4. res. 116. absolute satis illum esse dolorem non retractatum concedant, tamen ut probabilis hæc sententia fiat, addenda est hæc limitatio, ex Delugo de penit. disp. 14. s. 3. n. 35. ut antiquus ille dolor non sit ita tempore defunctus ab hac Confessione, ut moraliter unum quid cum hac facere non censetur.

Lege Ianuarius parte prima resolut. 30. qui docet, cum qui peccata aliàs ritè confessa, & absoluta confiteretur, non teneri iterum elicere actum doloris si prior habitualiter, vel virtualiter perseveret; nec teneri elicere actum doloris eum, qui confitetur peccatum oblitum in prima Confessione, si de illo cum aliis sub motivo generali dolorem habuit, (semper intellige, si ejusmodi dolor modo dicto perseveret) quæ doctrina confirmat; quæ mox dicentur num. 9. & quæ modo dicta sunt n. 4.

8. Ex quo duo colliguntur, Primò, quia supra diximus dolorem antecedentis diei non retractatum facere unum quid posse cum Confessione diei sequentis, idè consequenter probabile erit dolorem Confessionis antecedenti die habitum posse extendi ad Confessionem eorundem peccatorum absolutionum, quæ fiat in sequenti die. Sicut enim ibi ad moralem unitatem, sufficit, ita & hic erit ad eandem satis.

9. Secundo, si post collatam ritè absolutionem penitens recorderetur, afferatque aliquid, quod confiteri oblitus fuerit, vel etiam aliquid de quo dubites, quod si certa materia absolutionis, unde illum jubet aliquid certum repetere ex peccatis jamjam exhibitis, non est necesse ut iterum doleat. Ita Henric. lib. 4. de penit. c. 16. §. 7. Ratio est quia si nova hæc absolutio cadat in peccata jam absoluta: proderit, juxta modò dicta, dolor præcedentis Confessionis, qui certè non longè distat. Si verò cadat etiam in peccatum de novo allatum; proderit ille idem præcedentis Confessionis dolor: quia nimirum is extendebatur ex motivo, ut suppono, universali quo fuit elicitus pro omnibus peccatis à penitente commissis, inter quæ est hoc peccatum nunc directè absolvendum quod de novo clavibus subditur.

10. Atque hæc doctrina est notanda pro hic frequentibus eventibus, quando penitens post collatam

A 2 absola